
136

MUḤAMMAD IBN ʿUMAR, al Wākidī

LIBRI WAKEDII

DE

MESOPOTAMIAE EXPUGNATAE HISTORIA

PARS

E CODICE BIBLIOTHECAE GOTTINGENSIS ARABICO EDITA ET ANNOTATIONE ILLUSTRATA.

QUA SCRIPTIONE

PROFESSORIS PHILOSOPHIAE PUBLICI EXTRAORDINARII IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

MUNUS RITE ADITURUS

AD ORATIONEM PUBLICAM AUDIENDAM

INVITAT


GEORGIUS HENRICUS AUGUSTUS EWALD

PHILOS. DR.

GOTTINGAE,

SUMTIBUS DIETERICHIANIS

MDCCCXXVII.



DE WAKEDII OPERIBUS HISTORICIS, HISTORIA POTISSIMUM MESOPOTAMIAE EXPUGNATAE.

Prodiit nuper Wakedii, inclyti Arabum historici, de Aegypti ab Arabibus Omaro Chalifa expugnatae historia liber, V. C. Hamakeri diligentia e cod. bibl. Lugd. Bat. editus et annotatione docta illustratus. Quo de libro perlecto postquam in diariis academiae nostrae literariis rogatus judicium tuleram [1]), en casu accidit, ut idem Wakedii opus historicum inter codices bibliothecae nostrae academicae arabicos, paucos eos quidem et in obscuro fere latentes, asservari cognoscerem. Et titulus quidem codicis Syriae tantum et Aegypti expugnatarum historiae argumentum prae se ferebat; penitius tamen mihi inspicienti eum Mesopotamiae quoque expugnatae historiam continere facile patebat. Quod quidem de Mesopotamiae historia opus Wakedianum cum vel ipsi Hamakero, acutissimo rerum harum scrutatori, incognitum in nulla praeterea Europae bibliotheca obvium esse videatur [2]), eo dignius docti cujusdam cura putabam, quo studiosius cl. Hamakerum, amplam de Wakedio ejusque quae feruntur scriptis disquisitionem pa-

[1]) Cf. Göttingische gelehrte Anzeigen 1827. N. 65. p. 641-648.

[2]) Ockleyum, qui ex Wakedii historia Syriae expugnatae plurima hausit, opus hoc ignorasse, ex ej. op. T. 1. p. 455. vers. gall. patet. Idem statuendum de Köhlero (in Repert. bibl. et or. T. 1. p. 62), Schultensio in d'Herbeloti bibl. or. T. IV. p. 595. vers. germ. aliisque.

rantem, cujusque literarum orientalium amantis operam in explorandis illis scriptis ponendam implorasse vidi (v. praef. p. XVII.) Inde natum libelli hujus edendi consilium.

I. Et primum quidem auctorem hujus libelli eundem esse, qui Syriae et Aegypti expugnatarum historias enarravit, ex argumentis sat multis apparet. Scriptor enim codicis Mesopotamiae historiam tam arcte Aegypti modo expugnatae historiae adjunxit, ut vel continua serie, nulla ne margini quidem adjecta epigraphe [1]), oratio procedat, quamquam Aegyptii belli historia a Syriaci modo transacti narratione probe distincta est. Unde facile tertia haec operum Wakedianorum pars lectorem fugere poterat. Neque hic nexus librariis tantum debetur, sed ab auctore ipso jam in utroque opere scribendo est quaesitus. Nam non initium tantum tertiae partis secundae partis fini intime est annexum, locaque sunt plurima, quibus in tertia parte ad secundam alluditur, sed ipsa jam secunda pars ita ab auctore est perscripta ut eum post Aegypti historiam ad Mesopotamiae expugnatae narrationem statim transire voluisse pateat.

Ita in expugn. Aeg. p. 18, 11 ex edit. Ham. ad Ibn-Ishaki fidem provocans auctor conjungit فتوح ارض مصر وارض ربيعة الفرس, quasi ad Aegypti aeque ac Mesopotamiae bellorum historiam describendam accinctus; et in fine Aegypti expugnatae historiae p. 149. 150. Omarum dicit literas ad Abu-Obeidam, supremum Syriae praefectum, de copiis ad Mesopotamiam occupandam eligendis misisse, quae profecto haud adjecisset scriptor, nisi narrationum de praeclaris Arabum illorum factis seriem porro pertexere animus fuisset [2]).

[1]) Titulum Arabicum in fronte positum ipse finxi.

[2]) Omnino notavi, codicis Lugd. Batavi ab Hamakero editi scriptorem in fine Aegypti expugnatae historiae p. 149. nimis properantem quaedam omisisse ad narrationis integritatem necessaria. Quae hic e nostro codice supplere eo magis necessarium esse duxi, quo gravius re ipsa est eorum argumentum. Sunt haec: وارتحل المقداد وهلال الي البقارة فنزل الجيش وكان عليها الباقر بن الاشرف (a) ناسلم

a) sic emendatius quam ap. Ham.

Fuit ergo, si quid video, hic consiliorum, quibus scriptor ad opera haec et alia forsan hujus generis scribenda accessit, ambitus totus, ut quaecunque ubique terrarum primorum Chalifarum tempore ab Arabibus regionum exterarum expugnatoribus laudabiliter gesta sint, eorum historias concinnaret amplas lectuque jucundas; idque ex consilio suo (§. II.) ita institueret, ut singularum terrarum, quomodo occupatae sint, historiam uno progressu unaque imagine depingens temporis ratione quadam habita cum ceteris historicis conspirante a Syriaco bello ad Aegyptium, ab hoc ad Mesopotamiae res progrederetur. Hinc in secunda et tertia parte satis frequenter ad Syriaci belli historiam ita alluditur, ut non possis non eundem scriptorem unamque historiarum seriem agnoscere. Persiae vero expugnatae histo-

هو ومن معه ومضوا الي القصر المشيد ففتحه صلحا ثم ارتحلوا ونزلوا علي الوراده (a) فسلموا اهلها وارتحل الي العريش فسلموا ايضا اهلها وكذلك اهل رفج (l. رفح) ونبدا ومياس وغزة وعسقلان وكل هذه صلحا علي يد هلال والمقداد حتي وصلوا الي عند *ابو عبيدة علي طبرية ثم نزل من بعدهم خالد وضرار *وبني (b) دوس و بني بجيلة ووعد الذين كانوا قد اسروا واخبروه انه لم *يبقا في ديار مصر واسكندرية واعمالها ودمياط والصعيد واعمالها *بيتا للروم والقبط وقد اقام منار الدين واذا اكثرهم مسلمين. Quae hic ap. Hamak. desunt, nomina potissimum urbium in Aegypti Syriaeque finibus sitarum, re vera hic desiderari, ex p. 8, 3. 4. satis apparet. Nomina haec ex parte non satis in aprico posita sunt. Maimas quanquam apud Arabes non legi, non dubito quin Graecorum sit *Μαιουμᾶς*, Gazae emporium, de quo v. Relandi Palaest. p. 791. 800. 885. Pro البيدا ap. Ham. p. 8. cod. n. نبدا offert, unde saltem Hamakeri n. p. 14. conjectura بدا esse legendum non firmatur; legendum forsan تبدا quod Graecorum *Θαβαθα*, vico Gazae vicino (v. Reland. p. 799. 1033) respondere putes. Situs certe loci egregie quadrat. — Mirum vero, hic Saidae quoque seu australis Aegypti jam tum occupatae mentionem injici.

a) Lectio igitur haud est sollicitanda cum Hamak. p. 192. not. Sensus est: pacem adepti sunt incolae, cf. p. 22, 17.

b) cf. Ham. not. p. 97. 146. ubi emendatio confirmatur nostri cod. fide.

ria, ad quam similitur hic illic (cf. praec. p. 21, 15) auctor respicit, quo loco posita fuerit ab auctore, mihi non satis patet; quamquam eam medium Syriae inter et Aegypti rerum narrationem locum tenuisse suspicor.

Quibus si porro addas, linguae tertiae hujus partis indolem in haud paucis singularem narrandique modum ab aliorum Arabum historiae conditorum mirum quantum aberrantem eundem prorsus esse quem partes priores sequuntur, nihil jam superest dubitationis, quin idem auctor Mesopotamiae quoque historiam concinnarit. Unde de operum horum omnium et auctore et fide historica idem prorsus statuendum esse apparet; quam quaestionem hic non totam solvere animus est, sed id tantum breviter innuere, quod ex Mesopotamiae historia hac lucem quandam ei possit afferre.

II. De auctore enim, quis fuerit omnium horum operum, difficilis est et ambigua quaestio. Traditio fert, Alwakedium (Abu-abdallah Mohammed ben-omar ben-waked) Raschidi et Mamuni coaevum et a Mamuno honoribus affectum summis (natum a. 130 H. mort. 207. vel 209) operum illorum auctorem esse. Cui sententiae plurima obstare vel levis docet operum ipsorum lectio [1]). Primum enim linguae arabicae indoles non ea est in iis conspicua, quam ab inclyto isto Raschidi coaevo exspectes. Non est ea limata ista et tersa, qua poetae et historiarum conditores antiqui, quales Thabari, Makrizi, Abulfeda etiam, uti solent: sed oratio jam seriorum scriptorum ingenium spirat et nonnunquam vel fabularum, quibus pangendis Arabes plurimi operam dedere, historicarum stylum imitatur. Memini enim praeter sueta linguae vulgaris vestigia, ut وقتلتوا pro وقتلتم, quae hic enumerare nolo, ea etiam legere vocabula, quae serius demum in plebe nasci poterant, ut ابش quid p. 23, 13.

Quae quidem linguae ratio ut non probat, opera haec temporibus linguae arabicae jamjam inclinantis ultimis scripta

[1]) Verum quodammodo jam viderunt Reiskius adn. ad Abulf. Ann. T. II. p. 669. Freytag ad selecta ex hist. Halebi p. 47. cf. praef. Hamak.

esse (videmus enim seriores etiam historicos oratione uti sobria et concinna), ita saltem opera haec non antiquissima et ab illo Wakedio, qui aut primus aut inter primos historicos referendus censetur, profecta esse docet. Utque quid de linguae genio tali sentiendum sit breviter dicam, lingua vulgaris, quae serius labentibus rebus latius propagata et in scriptis etiam frequentata est, sicut in omnibus libris historici argumenti fabulosis, Antarae historia, Noctibus mille et una, Locmani fabulis, Historia decem Vezirorum (ed. Knös Gött. 1807) reperitur aut pura aut puriori stylo mixta et quasi dubia inter utrumque stylum haerens, sic in his etiam operibus Wakedianis reperitur, quia simili fere origene orta et simili consilio scripta esse videntur [1]).

Si enim porro de ipsis quae narrantur rebus et fide qua narratae sint quaerimus, scriptorem non invenimus ore tradita fideliter referentem, simplicique qualis historicum decet aliosque inclytos eosque vetustiores Arabum historicos auctores habet, narratione utentem; non verum historicum res quomodo cunque gestae sint sine ira et studio exponentem: sed talem, qui rerum vetustate et ipsa sua inclyta fama nobilium historia narranda gentis suae gloriam celebrat coaevisque sacrorum quae colant a proavis acceptorum amorem instillare studet summum. Hinc haud erubuit auctor historiam commentis plurimis ornare vel eas nonnunquam inserens picturas quas poetae et mythologo deberi sponte tua intelligas [2]).

[1]) Asservatur in bibliotheca Guelpherbytana simile opus a me olim perlectum, quo Bibarsi Aegyptii Sulthani facta fictionibus ornata narrantur, linguae vulgaris stylo. — Ceterum cum haec linguae vulgaris vestigia auctori ipsi debeantur, equidem non cum clar. Hamakero, si quae ex hoc fonte fluxere, ad purioris styli praecepta corrigenda esse duxi, quo quidem scriptori injuria inferri videtur, sed asterisco plerumque notare satis habui.

[2]) quare haud miror, quod d'Herbelotio T. IV. p. 595. teste Mahmud-ben Mahmud-ben-Dschami Syriae historiam Wakedianam carmine distichorum 12,000 descripsit: neque enim carminis heroici deerat argumentum.

Plurima vel in hac, quam hic edimus, Mesopotamiae expugnatae historiarum parte obvia sunt non a fide tantum historica, sed a ratione etiam, qua res fieri potuerint, probabili aliena. Talis autem historiam tractandi ratio vetustioribus Arabum historicis incognita serius demum oriri poterat; certe si Mamuni aetate Wakedius haec scripto tradidisset, cogitari nequit, cur seriores scriptores historici hujus aestumatissimi fidem taciti deseruerint (§. III).

Sed ne voluisse quidem videtur auctor Wakedius Raschidi coaevus haberi. Quanquam enim illud قال الواقدي saepius repetitur, locus tamen reperitur in Mesopotamiae historia (cod. p. 349.) satis memorabilis, in quo auctor ad Jalanis cujusdam, cujus auctoritas Mohammedo-ben-omari Alwakedio innitatur, fidem provocat historicam [1]). Quae profecto summa scripsisset incuria auctor qui Wakedii ipsius personam induerit lectoribusque se ut veterem istum magni nominis historicum venditare voluerit. Multa quidem ex Wakedii veteris sive traditione sive scriptis haurire poterat serior scriptor, ita ut, si ornamenta et figmenta adjecta omittas, narrationem habeas Wakedianam fere, quam serior scriptor pro more antiqui orbis frequenti ipso inclyti historici nomine edere potuit: cum tamen auctor se a vetere Wakedio distinguere nullus dubitarit, quidni eum seriorem quendam statuimus Wakedium, eum forsan ipsum qui apud d'Herbelot. T. IV. p. 595, nescio tamen quo ex fonte, pleno nomine Abu-casem-ali-ben-hassan-ben-chalaf satis a vetere illo distinctus est. Qua quidem ratione non tam auctoris serioris fraudem agnosceremus, quam librariorum incuriam, in titulo operis veteris Wakedii illustrius nomen huic serioris scriptoris cognominis nomini substituentium. Certe neque Ibn-chilkan neque Abulfeda haec opera ea qua nunc exstant forma hisque titulis ornata a vetere Wakedio

[1]) حدثنا بعلان بن رغبة العبدي عن محمد بن عمر الواقدي وهو يومئذ القاضي بالجانب الغربي ببغداد. Contra Ibn-chilkan, quem Abulf. Ann. T. II. p. 132. ad verbum fere sequitur, Wakedium in orientali Bagdadi parte judicis munere functum tradit.

profecta esse testantur, quanquam Ibn-chilkan eum similis argumenti opus condidisse diserte affirmat.

Quo vero tempore serior hic auctor vixerit, ex collatis demum omnibus his operibus intelligi poterit; hoc tamen affirmaverim, eum non vixisse priusquam inde a seculi p. Ch. undecimi fine bella inter Mohammedanos et Christianos gliscere coeperint saevissima. Tantum enim in proavorum rebus gestis celebrandis et commendandis atque religione sua decoranda, tuenda et ab adversariorum criminibus purganda sibi indulget, ut eum coaevorum simul languescentium animos reficere voluisse probabile videatur.

III. Sed operae est, quae ceteri historici de Mesopotamiae expugnatione tradunt, breviter hic recensere, quo melius de fide scriptoris historica constet. In quo tamen dolendum quod parum ex impressis saltem haurire licet subsidii ad historiam illam investigandam.

1) Elmacinus (p. 25), qui Thabaritae in hoc ut alias vestigia premere videtur, eoque non sine utilitate conferendus, anno H. 21. Aderbidschanem a Mogairah ben-schobah, Ain-verdah (de nominibus v. infra), Charras et Edessam ab Amru-ben-said, Raccam et Nisibin ab Ejadh-ben-ganem [1]), Ahvazas ab Abu-musa-alaschari occupatas esse tradit. Saeviit igitur hoc auctore anno illo bellum ubique ad Euphratis et Tigridis ripas dirissimum.

2) Eutychio (T. II. p. 294) auctore Ejadh Edessam, Raccam et Dscheziram, Mogairah Aderbidschanem cepit.

3) Greg. Abulfaragius, qui in chron. syr. de his prorsus tacet, in opere arab. p. 178. Ejadhum Mesopotamiae urbes inclytas, Habibum-ben-moslema Circesium occupasse tradit.

4) Omnes hi Mesopotamiam uno fere anno occupatam tradunt. Cui scriptor syriacus aetate prior (circa an. Ch. 775), fide tamen et diligentia historica mihi suspectior,

[1]) est enim ibi غانم legendum pro عيسي.

Dionysius Telmahriensis [1]), Jacobitarum patriacha, ita contradicit, ut Arabes jam anno H. 17. duce Asus, qui Amru-ben-al-azi videtur, Edessam, deinde an. 21 Daram et Abadin expugnasse narret. Cujus quidem narrationis fides penes auctorem sit; neque enim facile quis omnium Arabum suis de factis narrantium fidem deserat.

5) Suspectum quoque, quod Abulfeda, ad ann. 21. de Mesopotamia prorsus tacens, T. I. p. 234 jam anno 16. de Tacrito, Mosula, Circesio, tota igitur fere Mesopotamia, nescitur quo duce occupatis refert [2]).

Quibuscum si a Wakedio nostro relata comparas, multus consensus aeque ac dissensus hic reperitur, si vel omissis quae auctor ornatus gratia plurima immiscuit, simplicia tantum spectes facta. Summum exercitus ducem eundem dicit Ejadhum; bellumque Mesopotamiae post Aegyptiacum inceptum esse cum Elmacino sumit. Nihil tamen de Amru-ben-Said legi; Circesiique capti gloriam non Habibo, sed Jukanae ejusque sociis vindicat. Temporis notas, quippe quibus historia docendi causa scripta facile caret, paucissimas habet; quodque p. 24. de Circesio anno H. 18. occupato refertur, tam singulare ponitur, ut cui auctoritati id superstruatur dubites [3]). Et quanquam pauca tantum nulloque nexu juncta ceteros scriptores, ne eos quidem inter se conspirantes, tradere vides, illud tamen certissimum est, nullum eorum ex hoc nostro hausisse. Unde sicut in omnibus ejus generis, cui nostrum supra vindicavimus, libris historia consiliis scriptoris servire cogitur, sic in nostro quoque narrationi diffidamus, nihil certum habentes in quo

[1]) in Assem. bibl. or. T. II. p. 103. Si tamen verum est quod Freytag ad sel. hist. Hal. p. 47. ex codd. duobus refert, Ijadhum anno 15 Mosulam totamque Mesopotamiam subegisse, et an. 20. jam mortem subiisse, potest sane dubitari an Elmacino fidendum sit.

[2]) Graecos fontes, qui haud largius fluunt (ut Theophan. chronogr. p. 282. Cedren. hist. comp. p. 429) hic omittere satius est. Quem hi Jasdum ducem appellant, haud dubie Arabum est عياض.

[3]) Aegypti expugnatio in cod. n. ad an. 17 refertur.

ceterorum scriptorum non fidus sit consensus. Certe in nullo fere tempore describendo latius et securius evagari potuit historicorum hujus generis ingenium, quam in bellis his primo Chalifatus tempore in exteris terris gestis, quae quam parum exacte tum propter ipsarum rerum copiam immensam, tum propter Arabes tum temporis librorum fere ignaros memoria servari et post centum plus annos scripto mandari potuerint satis constat.

IV. Nihilominus tamen opera haec Wakediana quae edantur haud sunt indigna. Primum enim cum singulare historiae tractandae genus hucusque ex editis fontibus haud perspectum in iis cernatur, juvat certe specimina ejus evulgare quo quid de iis sentiendum sit liquidius constet. Deinde historicus quoque haud frustra ea ubique consulet, si segregatis quae examen severius historiae illata esse monstrat, ceteris ad aliorum scriptorum narrationes intelligendas utatur. Imprimis vero utilis est scriptor ad *geographiam* terrarum illorum perlustrandam. Fusius enim omnia exponens tot habet minorum etiam locorum nomina frustra alibi quaesita, ut haud exiguum inde peti possit geographiae ampliandae praesidium. Nec in his fides ejus suspecta, cum diligentius examen eum nullum prorsus nomen temere finxise aut prorsus alieno loco posuisse ostendat. Ut taceam, quemvis editum scriptorem ad linguae arabicae uberrimae indolem et ambitum rectius cognoscendum conferre.

Pars haec Mesopotamiae occupatae historiae e codice edita est Gottingensi, b. Lorsbachii viri literarum Orientis apprime gnari manu diligentissima e cod. Fuldensi descripto. Erat tamen in apographo festinantius scripto legendo haud minor industria ponenda quam in codicibus ab arabicis librariis exaratis. Versionem latinam consulto omisi, difficiliora in adnotatione enucleare satis habens. Codex ubi corrigendus videbatur, aut in textu aut in notis indicavi; quaedam tacitus emendavi. Ceterum dolendum quod codex Fuldensis in fine mutilus haud integram hanc historiam exhibet; quam tamen hic ex ea descripsi majorem eorum quae codex continet partem, sufficiet ad judicium de toto opere ferendum.

ANNOTATIO.

P. I. l. 4. Qui hic ab Abu-obeida, Syriae praefecto supremo, ad Omarum cum literis missus dicitur Abdalla-ben-korth, idem eodem fungens officio in bello syriaco ab Abu-obeida (v. Ockley histoire des Sarrasins T. I. p. 285-8), et in aegyptiaco ab Amru-ben-alazi (expugn. Memph. p. 57. 58. cf. adnot. Hamak. p. 108) ad Omarum delegatur. Sed cum epistolarum harum fides parum probari possit, una cum argumento quod habent non satis gravi legationum historiae fictae videntur. — Cur Medina l. 7. *suavis, grata* dicatur, ex narrationibus qualis una ap. Ockley l. c. p. 286. exstat, et ex collato simili epitheto المنوّرة *splendens* colligi potest; certe urbi nomen Thaibah ut Jatreb antiquitus adhaesisse male docere videtur d'Herbelot b. o. T. III. p. 358 vers. germ. — l. 11. non dubito quin genuina sit lectio اولى, quam tamen utpote in cod. constantem mutare nolui; sensus est: *ob id quod contulerat beneficiorum*, quo sensu legitur in expugn. Memph. p. 55, 8. et de Sacyi chrest. ar. T. I. p. 333. v. 16. Prima notio est: accedere facere, conferre. Inclytum nomen مولى proprie est: *locus confugii*, unde patronus et, qui ad eum confugit, cliens. — l. 15. Praestat lectio prior; sensus: *prius* (in hac vita) *bonum tibi parasti in commodum futurae*, locutione Coranica.

P. 2, 1. Locum corruptum esse in cod. dubio caret. Praeter ex quae notavi potest etiam conjici inter duo nomina omissum esse كما امر. — L. 8. Locus ad quem alludit est Cor. Sur. 66, 9. Esse autem l. 7. legendum امر res ipsa docet. — l. 15. Juxta lacum Tiberiadis (Joh. 21, 1) castrametantem in Syria Abu-obeidam tradit idem Wakedi in expugn. Aeg. p. 97. Causam ibi ex regionis balneis abundantis salubritate repetitam satis testantur veteres, ut Abulf. Syr. p. 185. ed. Köhl. Videturque in Assem. bibl. or. T. I. p. 406 pro ܕܐܝܒܪܝܐ *balneum Iberorum* legendum ܕܛܒܪܝܐ *Tiberiensium*. Idem de vicino Ammaus (حمام) tradit Joseph. b. j. 4, 2. cf. Pococke Beschreibung des Morgenlandes T. II. §. 97-101. ed. 1791.

P. 2. ult. et p. 3, 1. Qui hic heroes insigniores nominantur ex parte tantum aliunde mihi sunt noti; de fortissimo Syriae et Aegypti expugnatore Chaledo ben-valed cf. Ockley hist. T. I. et Freyt. sel. ex hist. Hal. p. 1 sqq. de Dheraro Hamak. ad exp. Aeg. p. 145; de Mikdado p. 74. de Ammar-ben-Jaser p. 114. insignem ejus virtutem caedemque memorabilem describit Abulf. A. M. T. I. p. 310.

Sohail-ben-adi qui l. 3. agmen duxisse fertur, est inter triginta quatuor heroes ad bellum Dimjathense ablegatos, expug. Aeg. p. 125, 20. Nomen hujus viri, qui cum Abdallah-ben-enan primarias partes in hoc bello gerit, saepius male سهل scribitur.

P. 3, l. 2. Non sine causa Arabes Rahabam urbem primam aggressi sunt; sita enim est, ea certe quae recentius restaurata hoc nomen gerit, cis Euphratem, paulo infra Circesium ad fluvium Soaid. Urbs olim incolis frequentissima (cf. Benj. Tud. p. 62 ed. l'Emp.) jam Abulfedae (tab. Mes. p. xxii) tempore desolata erat. Cur duplicem distinxerit urbem hujus nominis d'Anvill. charta, non apparet. Sed mira comparet urbis historia. Si enim Malik-ben-thauk Mamuni Chalifae aetate primus fuit urbis conditor, quod uno ore scriptores affirmant (ut Abulf. l. c. et in Ann. M. T. II. p. 244), quomodo jam Arabes Omaro Chalifa eam expugnare poterant? At hoc saltem bene tenuit Wakedi, ut cognomen Rahabae-Maleki serius natum evitans, quo a ceteris pluribus (cf. Freyt. ad Sel. ex hist. Haleb. p. 125) distinguatur, aliud ipsi daret: *alchamra* i. e. *rubra*, frustra a me alibi quaesitum. Ceterum an haec urbs auctore Boch. Phal. p. 289. et Rosenmüll. Handbuch der bibl. Alterthumsk. T. 2. p. 270. eadem sit quae Gen. 36, 37 רְחֹבוֹת הַנָּהָר audit regisque Idumaei patria dicitur, admodum dubitaverim. Nam praeter aetatem illius recentius conditae dubiam tot sunt Hebraeis Arabibusque hoc nomine insignita oppida, ut quam eligas, semper sit dubium. Possis etiam רְחֹבֹת עִיר conferre, quod inter Assyriae oppida diserte refertur Gen. 10, 11.

P. 3, 10. Racca e potioribus est Mesopotamiae oppidis. Euphrates a meridie Circesii sitam mediam ambit. Nomen Nicephorii ei Alexandri M. tempore inditum dicitur. Claruit imprimis Harune Raschido ibi ultimis vitae suae annis morante, quo tempore et suburbium Rafica et vicina urbs Racca el-vaseth accessisse videntur; unde eam ab eo inde tempore cognomine *albae* البيضا distinctam esse conjicias. Ab Ibn-Haukalo et Edrisio urbs inclyta et Dijar-modharis caput nominata a seculo inde decimo tertio ob Tatarorum puto Bagdadi capti victorum immanitatem desolari coepit; Abulfeda enim incolis destitutam vocat, cf. Abulf. tab. Mesopot. in Pauli repert. n. T. III. p. xvi. ann. M. T. II. p. 88-90. Golii not. ad Alferg. p. 253. d'Anville l'Euph. et Tigr. p. 24. Urbs antiquissimis temporibus ignobilis vel nulla fuisse videtur; Hebraeorum enim אֶרֶךְ, Ptolemaei Arrecte cf. Tibull. 4, 1, 152. diversum puto. Quod in cod. scriptum est مشتبكة, esset: *viris implicita*, repleta; at facilius emendaveris مشتكلة *repleta* cf. Lemming spec. ex Kemaledd. p. 14, 7.

l. 12. Inclyta olim urbis Ras-al-ain fama. Nomen habet ex situ ad fontes, ut tradunt, trecentos amplius Chaborae, fluvii Euphratem inter et Tigridem maximi; alterum nomen Ain-vardah, hic primo loco positum, *fontem rosae* significans, ex fontium istorum amoenissimo est desumtum. Cumque urbium Chaborae adjacentium caput sit, est quoque nonnunquam obvium nomen *Ras-alchabur*; cf. Abulf. fab. Mesop. p. xix. d'Anville l'Euphr. p. 47. Nobilitata urbs victoria Gordiani a Persis reportata. A. 692. a Theodosio restauratam (et Graecis Theodosiopolin dictam) esse tradit chron. Edess. ap. Assem. bibl. or. T. I. p. 399. — l. 19. 20. Ex cod. lectione vertendum esset: *et nos vicimus et sumus vobis numero majores;* quod cum sensu destituatur, e conjectura loco restituto verterim: et nos, inquiunt, vicimus sumusque numero vobis majores. Ita منكم retineri potest.

P. 4, 2. لنا etc. Locutio auctori huic adamata sic intelligenda: *aut pro nobis aut contra nos;* sive vincamus sive vincamur; de notione pr. على v. gr. nostr. hebr. p. 610. — l. 4. 5. de استوثق v. Hamak. not. ad exp. Aeg. p. 65. — Quae l. 5 sqq. sequuntur urbium nomina, si ex parte in aliis scriptoribus frustra quaesivi, non scriptoris est culpa, sed fontium quos hucusque adire licuit, defectus. *Dschamlin* (sic enim procul dubio legendum) infra p. cod. 346-349 saepius redit, unde in Mardinis ditione sitam fuisse urbem patet; sed video Abulf. Ann. Musl. T. III. p. 486 جملين scribere. Notius ex Arabum fontibus sequens *Cafar*- (oppidum ܟܦܪ) *tsutsa*, in planitie Mesopotamiae media fere situm, a meridie Rasalainae, cf. Abulf. t. M. p. xxix. Assem. T. II. p. 216. d'Anville p. 55. — Pro sequenti داوما nullus fere dubito [1]) quin دارا legendum sit, lapsu librarii facili sublato. Est ea parva, sed munitissima urbs, Charras inter et Nisibin sita, ut colligitur ex Abulf. t. M. p. xxiv. cl. Reiske ad Ab. Ann. M. T. II. p. 677. Assem. T. II. p. 103. 119. Quam si *Tavernier* et d'Anville p. 54. Daracardin quoque nominari narrant, nomen *cardin* ex *Carda* aut fluvio aut montium Cardynechiorum vel Gordyaeorum parte ductum puto, sicut vicinum Gozarta Syris etiam ܓܙܪܬܐ ܕܩܪܕܘ dicitur. — Nota satis sequens urbs *Mardin,* sequiori pronunciatione Merdin, Maride nominata, castellum in monte munitissimum (Knös chrest. syr. p. 110, 29) a meridie Nisibis, Ptolemaeo geogr. 6, 1 jam cognitum. Esse eam hodienum incolis fre-

[1]) possit etiam emendari بارما; de Barema enim urbe loquitur Edrisi p. 198; sed de situ ejus mihi non constat.

quentem, apparet ex Description du pasch. de Bagdad (Par. 1808) p. 94. cf. Abulf. t. M. p. xix. — Pro حزان, quod manifesto corruptum est, possit quidem حيزان *Hizan* legi, quae urbs in remotissimo Mesopotamiae meridionalis angulo sita (cf. Abulf. t. M. p. xxv. St. Martin mémoirs sur l'Arménie (Par. 1818) T. I. p. 175. 6) d'Anvillio parum nota et *Hazu* dicta est; sed ob ipsam *Rohae* (Edessae) vicinitatem praestat حرّان חרן *Carrae* legere. — De sequenti *Tell-mazen* (quod redit p. 15, 18.) fere despero; nullum enim consulere licet auctorem. Ut tamen hic *Tell-mazen* et *Muzen* componuntur, ita vix dubium, quin eadem loca innuerit Abulf. Ann. T. III. p. 486. et T. IV. p. 108, 13. nominibus موزر et تل موزر, ر ut saepius fit, in ن mutato, et *Mazer* ex *Mauzer* facto. Fuisse videntur castella duo vicina, Mozulae propiora; verbo etiam attingit Schult. ad Salad. voce *Almauzar*. — Intermedium his oppidum *Elbatsna* idem puto quod alias Sarug سروج, ܣܪܘܓ audit, inter Edessam et Biram situm, cf. Abulf. t. M. p. xiii. Assem. T. I. p. 283-5. T. II. p. 103. 104. Knös chrest. syr. p. 110, 30. Ammian. Marc. 14, 3. d'Anville p. 28. — Oppidi *Bareijja* nullum hucusque vestigium inveni; idem p. 346 cod. البارزية scribitur, addito non minus obscuro nomine يعني قلعة المراة, et, ut videtur, ميرين. Nec tamen fallatur, qui *Arcem filii Bare* juxta Nisibin ap. Edris. p. 202. et impr. Assem. T. II. p. 222. comparet. — Notius ex Abulf. t. M. peg. xxvii. sequens nomen *Aldschezirae*, castelli parvi supra Nisibin Tigride cincti, unde Arabibus جزيرة ابن عمر *insula Ibn-omari* appellatur; qui Ibn-omar qualis fuerit non liquet; male enim tum Benj. Tud. p. 61. cum Omaro Chalifa secundo confundit, tum d'Anville p. 86. cum Omaro ben-abd-alaziz, quem inclytum et pium Chalifam ob aggerem exstructum urbi nomen dedisse putat. Certo tamen statui videtur, nomen hoc Arabibus serius demum natum esse, ita ut hic scriptor bene Ibn-omari nomen omiserit. Syris urbs a Curdorum natione vel Gordyaeorum montibus (nomina enim haec ex origine cohaerent) ܓܙܪܬܐ (vel ܒܝܬ) ܩܪܕܘ nominatur (cf. Assem. bibl. or. T. I. p. 351. 353. T. III. 2. p. 733. 751; fuit vero etiam antiquius nomen ܒܝܬ ܙܒܕܝ, unde et olim (cf. Amm. Marc. 20, 7. 11. Sozom. h. e. 2, 13.) et nunc nomina *Bazabda, Bakardi* depravata sunt. — *Singar* vrbs est potentissima et soli ubertate laetissima, media fere in Mesopotamia ad fluuium Singaram (Saocoram vel Mygdonium veterum) sita, montium Singarae tractui vicina; cf. Abulf. t. M. p. xxviii. Fuit ea an-

tiquitus Romanorum Persarumque bellis nobilitata, serius Sultano Singaro nomen dedisse fertur cf. Ab. Ann. M. T. III. p. 256. ubi v. Reisk. An auctore Bochorto et Schultensio cum שִׁנְעָר Gen. 10. 11. 14. conferri possit, dubito. — *Chabur* hic non fluvii noti (חָבוֹר, כְּבָר) nomen est habendum, sed castelli parvi ad ripas ejus siti, de quo v. lex. geogr. ap. Schult. ad vit. Salad. Assem. T. II. p. 216. Abulf. Ann. M. T. IV. p. 50.

P. 4. l. 12. Al-aschath-almazani aliunde mihi ignotus; si tamen, ut satis probabile, Al-aschath-ben-kais p. 5, 3. idem est intelligendus, notus is e mala qua postea famam adeptus est Alii et Moaviae societate cf. Elmac. p. 39. 40. Abulfar. p. 189. Sequentis autem Abdallae nomen Jukanae apostatae, e Syriaco Aegyptioque bello celeberrimi, cognomen esse satis docet rerum mox narrandarum series. — Arces munitissimae quae l. 13. nominantur, ubi sitae fuerint et quae fuerint vera earum nomina; admodum incerta est quaestio. Patet satis ex narrationis nimis longae progressu, priorem a parte Euphratis orientali, alteram a parte occidentali sitam fuisse. Iam inter varias quibus nomen posterius in cod. scribitur rationes زلبا (raro), زلبيا, ازلابيا (p. 9, 14.) et semel لابيا una quidem praeferenda videtur scriptura زلبيا vel ازلبيا, ut *Zelebi* (Zenobia) castellum juxta Euphratem Raccam inter et Rahabam situm (v. Büschingii Asiam T. XI. 1. p. 555.) intelligatur. Situs certe loci egregie huc quadrat; nec scriptura repugnat. Prioris castelli ab oriente Euphratis siti nomen varie scribitur: زبا, زيبا (16, 1.) زيباون, quarum quae vera sit forma nunc non definio. — 18. vox uncinis a me inclusa superflua et ex errore in cod. illapsa videtur.

P. 5, l. 5. notissima urbs Circesium ad Euphratis et Chaborae confluvium alibi apud Arabes قرقسيا vel قرقسية dicitur. —

l. 8. Oppidi Balil in vicinia, ut videtur, Raccae expugnatae siti hucusque nullum reperi vestigium. Idem de Al-chanuka l. 9. esset fatendum, nisi الخابوقة legendum esse, ex Edrisio p. 198. 201. concluderem. Est id oppidum ad Euphratem Raccam inter et Circesium situm, ita ut apprime huc pertineat. — l. 10. cum التجريدة nomen loci ob narrationis contextum non bene haberi possit, legendum esse putem التجريدة *gladiis evaginatis*. — l. 19. de Jukanae dolis in expugnanda Tripoli et Tyro v. Ockley histoire des Sar. T. I. p. 424 sqq. — l. 20. De *Alfuah*, quod nomen urbis Veziri Scharchubi natalis fuisse videtur, nihil hucusque mihi compertum; cum tamen e Syria ortus videatur, haud abs re fuerit, الفولة, nomen oppidi Palaestinensis (cf. Schult. ind. geogr. ad vit. Sal. Abulf.

Ann. M. T. IV. p. 78.) e conjectura substituere. Quod virum hunc Danielis vaticinia legisse p. 6. l. 2. traditur, in eo seriorum, quae apud Arabes orta sunt, commentorum vestigium cernas. Danielis jam librum Arabum regnum olim augustum fore praedixisse putarunt, Christianorum Judaeorumque ex c. 7-12 haustam de Messia exspectationem ad se trahentes. Idem Wakedi in Syriae expugn. tradit cf. Ockley T. I. p. 140. Ceterum ملاحم vox lexicis ignota *poemata* (a لحم consolidare, *texere*, IV. carmina pangere), imprimis *vaticinia* denotat, quo sensu legitur etiam apud Tac. Roorda vit. Ahmed. Tulon. (L. Bat. 1825.) p. 54. — l. 3. De monasterio Marihana nil constat nisi quod hic traditur inter Bales et Halebum situm fuisse, in meridionali igitur Syriae parte. Bales enim cis Euphratem e regione Halebi sitam esse ex Gol. ad Alferg. p. 259. Abulf. tab. Syr. p. 130. constat. Quae autem de alterius, quo monasterium hoc appellatum videtur, nominis *Dair-chafer* i. e. monasterium ungulae, origine sequitur narratio mira et absona, eam ex etymologia sola fluxisse, ex plurimorum hujus generis nominum, quorum etymologia tales fabulas peperit, similitudine concluditur (cf. libr. n. de compos. Geneseos p. 178 sqq.) مزرعة له cll. p. 18, 2. vertendum; *quidam ejus ager satus*, quae locutio quomodo oriri potuerit, expositum est in gr. hebr. §. 308. — Pro ايها l. 9. grammatica postulat فيها; sed illa forma casuum ignara respondet hebr. בָּהּ.

L. 13. lege البكوري; l. 14. الهذيلي e tribu Hodsail cf. Poc. spec. p. 49. L. 16. Proelium ad Dsat-äl-salasel, cui hic interfuisse dicitur, an. H. 8. contra Chodaitas duce eodem, qui serius in Aegypto Syriaque egregie inclaruit, Amru-ben-al-azi commissum est. Abulfeda de eo prorsus tacet. Nobilius est proelium an. H. 9. contra Romanos apud Tabuc Arabiae Petraeae commissum, in quo quanta Arabibus perpetienda fuerint, satis constat ex Abulf. Ann. M. T. I. p. 170-174.

Locum hunc satis longum p. 6, 16. — p. 9, 12, cui geminus breviter legitur in exp. Aeg. p. 115, 11-14. omittere nolui quanquam ad historiae progressum non pertinet. Mohammedis celebrat laudes primi hominum ipsoque Adamo prioris. Qui enim optimus et primus dignitate, is ex Orientis mythologia facile tempore etiam omnium primus habetur. Habes igitur hic mythologiae, si ita vocare licet (res ipsa enim non vetat) mohammedicae specimen, poeticis etiam verborum et rythmi coloribus depictum, cui Indicae antiquitatis carmina multa sunt similia. — L. 21. ما قوّل cll. p. 7, 16. 8, 13. pro ما أقول corrigere nolui, utpote analogiae non prorsus contrarium. Ibid. aut legendum quod uncinis inclusi: *et sane ad exitum usque demon-*

strabo thesaurum gratiarum, aut quod praefero ولا تتعب *neve defatigeris, graveris thesaurum gr.* — P. 7, 1. 2. Sensus: mundus potentiae (angeli potentissimi) congregabantur in coenaculo (v. de hoc sensu nominis غرفة Sur. 25, 8. Kazwin. ap. Uylenbr. Irac. pers. descr. p. 30.) domus coelestis, quam e regione Cabae sitam esse fabulantur. Diversae angelorum classes l. 3. cll. p. 8, 17. *Cherubim, Spirituales. Laudantes, Offerents* (intercessores), *Alati*, *Prostrati* e Judaeorum seriorum commentis haustae sunt, cf. Eisenmengeri entde. Judenth. T. I. p. 805 sqq. T. II. p. 374; nec minus ex hoc fonte fluxere coeli alarum, pratorum, coenaculorum, medii, extremorum mentio l. 7, de quibus fictionibus primus quantum scio fusius exponit liber Enochi c. 17. 33. etc. — L. 4. corrigebam فزاحمهم *pressit eos,* quod mendose impressum est. — L. 8. legendum videtur واجفافها *et inter hominum ejus catervas.* L. 10. melius, quanquam contradicente codice, legitur اشتباقه *jam dudum eum desideravit.* L. 12. locum ناقطع etc. sic intelligo: tum transivit (cf. Caab ben Zoh. v. 43.) remotissimum spatium doctrinae propheticae (deest in lex.) et immersit se (وخوّض praestat) in nubes cognitionis de gloria potentiae (potentis) i. e. maximo studio dei doctrinam tradidit. Locus deinde ex Cor. laudatus, quo angelus Mohammedis laudem celebrat, est ex Sur. 2, 253. Mar. — L. 18. Emendationem sensus stabilit: poenitentia autem quomodo possit esse in mei simili et ad meorum operum fastigium progresso. In locutione l. 20. p. 8, 1. 14. 9, 3. 6. 17, 5-9. *et clamatum est a loco ante veritatem* (deum) observes dei circumscribendi rationem studio quaesitam, ne deo ipsi vox tribuatur, quod majestate ejus indignum videtur. Idem per totam Johannis Apocalypsin observare licet.

P. 8, 3. analogia postulat وسماواتنا; l. 3. nullus dubito quin e grammaticae et rythmi legibus الملابكتي legendum sit. L. 6. بروج *turres* hic ut p. 17, 3 coelestes t. seu Zodiaci signa (ut Sur. 85, 1.) denotat, idemque sequens فروج *spatia, intervalla* innuere e sensu colligo. — L. 9. Sensus: tum profectus est ad arma concitanda, gressu jumentorum festinationis i. e. propero; مطية per se jam jumentum properum notat cf. Schult. monum. p. 21. Amrilk. M. v. 11. 15. — L. 14. Salsabil ex mythologia Corani Sur. 76, 18. fluvius est Paradisi coelestis, ex judaica quadam haud dubie fabula desumtus. — L. 21. lege يعتني.

P. 9, 1. alludunt angeli in laudibus Mohammedis ad Sur. 68, 4. — L. 4. observa rariorem verbi حدق usum: *intuebantur angeli*

versus arcem oculis; dicitur enim de visu acuto, ingenii etiam (Kazwin. ap. Uylenbr. p. 27.); affine etiam est حدق Borda v. 113. L. 10. emendare volui male a typotheta mutatum التجيد *opitulationis*, ut ita dicam. Ibid. legendum والاستغفار. Locus Corani, ad quem l. sq. alluditur, est ex Sur. 3, 17. ubi de impiis poenitentia emendandis agitur. — L. 15. Quid الفلافسة sit, non statim comparet. Facillimum videtur الفلاسفة rescribere: unus regum philosophicorum, *sapientum*, cll. p. 10, 6. Possit quidem aliquis suspicari legendum esse فلسطين *regum Palaestinae*, sed regem cui Vezirus haec dicit, patriam Jukanae bene tenuisse narrationis series docet. — L. 19. تعرق signat: *alte fundata*, firma est ejus potentia. Locum l. 20. corruptum esse facile patet. Nec tamen diu haesitavi quin legendum sit خرج *exiit rex* et dein post بقي addendum وشرحوب *at Scharchub remansit.* — P. 10, 4. In locutione اخذ على نفسه non suppleverim عهد (cum Hamak. ad exp. M. et A. p. 112.), quod in eadem hac locutione nunquam adjicitur nec adjectum bene cogitari potest, sed proprie signat: ἐπεχε τῇ ψυχῇ (tene super anima tua) quod Graecis idem dicitur pro: tuere animam, cave ab eo. Mox l. 5. textus plurimis haud dubie mendis scatet. De quibus diu meditatus facillime locum sic emendari posse reperi ut ابـاكي (pro ابيكي) in lineae initio scripto post وهو inseratur طامع: *timeo patri tuo ab hoc abominando* (cll. p. 12, 13.), *ob id quod meditatur, cum inhiet castello Halebi et timeo* (واخاف) *me id capiat pro dote tua.* Poterat enim hoc praetextu ad arcem occupandam uti. — L. 10. Nomen Arabis supra p. 6, 14. ordine singulorum veriori indicatum videtur; obiter hic moneo, ibi post خالة omissum videri بن. — L. 14. lege والتقنعة. Locutio غشي عليها prop. *caligo ei superinfusa est,* i. e. deliquium animi passa est, conferenda cum hebr. הִתְעַלֵּף Amos 8, 14. ejusdem originis. L. 15. صمم est: non missum fecit consilium, intentus consilio prius agitato, quo sensu legitur infra p. 18, 6. et ap. Fakhredd. in Freyt. Locm. (1823) p. 30. Ibidem nota rariorem verbi بذل (cujus prima notio est trudendi, promovendi) usum: *gladium in eos adegit.* L. sq. pro اللام haud dubie legendum اللئام *ignobiles.* — L. 18. من omittendum videtur, nisi quid exciderit. Observa autem l. sq. nomen e graeco fonte ductum ناموس *νομος,* in antiquis, ni fallor, libris haud obvium.

P. 11, 3. Locutio انطوى admodum rara et in lexicis non notata signare videtur: *cohibebat apud se verba* i. e. animum dissimulavit aliena loquendo. — L. 6. Monasterium *Essekr* aliunde mihi non notum. Non male scriptor hic festi paschalis noctem elegit, quippe in qua baptismo plurimam vim tribuebat ecclesia vetus. De lampadibus et candelabris sacram pompam comitantibus v. locum ap. Suicer. thes. T. II. p. 300. — L. 14. Cum caro suilla maxime foeda habeatur, sensus locutionis proverbialis esse videtur: sensit eum rem foedam et inhonestam suscipere. Astericus hic mendose positus. — Cur l. 22. الذي quanquam pro plur. positum mutandum non censeam, in gramm. hebr. p. 647. rationes exposui. Emendationem p. 12, 2. firmant loca Corani, quibus de daemonibus Gehennae ministris sermo est, ut Sur. 96, 18. Qui l. 4—6. de Paulo Apostolo sequitur locus satis est memorabilis satque in se habet lucis, unde difficultates ab Hamak. adnot. ad exp. M. et A. p. 54 sqq. motae tolli possint. Neque enim jam obscurum est, cur Paulus Christi religionem deformavisse auctori dicatur. Nonne enim is primus et solus fere inveteratas Judaeorum, quarum primi Christiani justo tenaciores erant, superstitiones sustulisse et novam prorsus fidem introduxisse leviori oculo videri poterat? Sed talia in Paulum crimina jactata auctor, nisi omnia me fallunt, ex Ebionitarum Palaestinae accolarum, Pauli ex illis causis inimicorum (cf. Epiphan. haer. 30, 34. p. 140. 149.), aut notitia familiari aut vaga fama hausit. — P. 9. de قرّ عينا homine frigidi i. e. hilaris oculi, vultus v. quae congessit *van Waenen* ad Ali sentent. p. 169. — L. 14. cll. 14, 14. 20, 12. 22, 12. nota locutionem نصب عليه *posuit ei* (insidias), ut שִׁית עַל Ps. 3, 7. 1 Reg. 20, 11. Sequentem locum non temere esse a me emendatum sensus docet. Sint enim necesse est Jukanae verba. — L. 19. السمهط *caro assata* esse videtur. Mirus vero verbi حمل l. 21. usus pro: *patienter aliquem ferre* de invitato qui haud invitus venit. — P. 13, 7. 8. Sensus locutionis e proverbiis vitae vulgaris petitae: *non cornibus ibi concurrerunt arietes* esse videtur hic: nullus ibi adversarius erat. — L. 20. quid notet شيطان in tali nexu, hominem scilicet versutissimum omnia efficere valentem, bene explicat Tebrizii scholion ap. Schult. exc. Ham. p. 380. Sequentium verborum paullo obscurior est sensus; videtur tamen hic: quisque Arabum est ubi Jukana, donec eos hodie gladiis perrumpamus (i. e. sed age viam nobis per eos muniamus). Esset ita نقطعهم legendum levi mutatione.

P. 14, 1. عليهم pro عليها ex linguae vulgaris usu. In nomine poetae ceteroquin incogniti omissum بن post نهم. Carmen hoc ut

duo reliqua p. 21. 24. metrum *Ettavilo* sequitur, de quo v. libellum n. de metr. Ar. p. 65 sqq. Sunt versus ut ceteri in his Wakedii operibus obvii sic adornati, ut a seriori poetis veteribus fictione quadam tribui facile sentias. Deest enim nervosior et grandior, qui antiquitatem testatur, orationis stylus. V. 1. notes sensum verbi رام *ulcisci* prop. quaerere, cll. דָּרַשׁ, ܬܒܥ. V. 2. sic intelligo: ante nos jam non sunt bella eorumque sagittae, heroes fortes in occursu (pugna) haud impotenti. V. 5. nisi pro primo vocabulo وحامى legendum est, sensus hic constituatur: *circum obivit regem* (Locm. fab. 27.) i. e. institit ei, constanter et versute eum persecutus est. V. 7. sic intelligendus: sortietur aliquando resurrecturus reditus die spiritum, benevolentiam, et candidas (foeminas) oculos (prae castitate) demittentes, ubi nota rariorem verbi قصر *vultum demisit* sensum; alludit ad locos Corani, ut Sur. 44, 52. — L. 12. vere deesse quod supplevi sensus docet. De junctura الارض ارض ربيعة cll. infra 23, 22. in hebraea aeque atque arabica lingua frequenti v. gramm. hebr. p. 581. Videmus vero illo tempore Rasalainam (v. p. XIV.) caput fuisse Dijar-rabiae. P. 15, 1. Monasterium *Zari'* aliunde haud novi; ex ipso tamen hoc loco, ubi iter a Circesio ad Rasalainum describitur, situm cognoscas. Sequentis autem oppidi *Almagdal* (prop. turris) meminit Abulf. tab. M. p. IX. X. qui quod ad Chaboram pertinere dicit, apprime ad hunc locum quadrat cll. infra p. 24, 12. 16. De *Almankab* vero l. 4. 17, 17, quod ab occidentali Rasalaini parte situm fuisse ex hoc loco intelligimus, iterum tacent alii scriptores. Sensum verbi اعدل v. 3. sic concipio: *obsidionem arci fore apte suspicatus erat*; ibid. leg. خندقها. — Haud temere l. 5. inter Arabes christianos Mesopotamiam accolentes Taglabitae potissimum nominantur; isti enim e Rabiae (unde Dijar-rabiae, ut notum, pars Mesopotamiae australis et orientalis) gente orti inter fortissimas censebantur Arabum Mesopotamiae incolarum nationes; cf. Kosegarten ad Amrui Moall. p. 37. *Banu Ajjadi* his adjecti a Nazar filio Kodae genus ducunt filiis Rabiae cognatum cf. Pocock. spec. p. 46. 47. ed. sec.; sed cur hic et p. 18, 20. الشمطا ad nomen Ajjadi proprium appositum sit nescio. — L. 7. praestare videtur وكبيركم; de sequenti واتحالكم dubia est quaestio; si *Castell.* sub وحل bene tradit hoc verbum in VIII idem esse q. تحلل, hocque *licitum facere* notat, ferri possit lectio; at facilius puto emendabimus ونستحلكم *et ut vobis licitum faciamus*. Alludit autem hic rex ad famam ex Poc. spec. notam, ex qua Arabum tribus Mesopotamiam incolentes ex interiori

Arabia illuc pulsi ibique hospitii jure consedisse dicuntur. — L. 11. post لأن inserendum videtur أن; sensus enim est: quia, si vincunt vos Arabes illi, non miserebuntur vestrum, ubi notes verbi بقّي c. على notionem *miserendi*; prima scilicet ex origine notio est *spectandi, respiciendi* (servata ea imprimis in syr. ܐܬܒܩܝ v. Assem. bibl. or. T. I. p. 32, 11. Bar. hebr. p. 418, 13.); unde fluxit notio *exspectandi, manendi* tritissima. — L. 18. Nomen Armenii hujus reguli seu Veziri varie in cod. scribitur: *Vartabek, Vartik, Varnik:* quas diversas scribendi rationes quanquam ubique retinui, veram tamen esse puto quae hic habetur *Vartabek*. Memoratu digna sunt quae sequuntur urbium nomina; de Tel-mazen v. p. xv.; sequens النبني frustra quaesivi; nec dubito quin النينوي (sicut etiam p. 23, 2. pro بنتوي, nec enim me movet quod hic diversus rex nominatur) rescribendum sit. Habemus ita *Niniven* celeberrimam, juxta Mozulam nunc Mesopotamiae caput sitam. Quanquam enim Ninive nunc desolata prorsus et vix nomine tenus servata videtur (diversum enim puto nomen pagi *Nunia* a Niebuhr. itin. T. II. p. 354. collatum), urbis tamen illius olim maximae sub Persarum, Graecorum, Romanorum, Arabum etiam imperio reliquias haud tenues ab incolis habitatas mansisse, ex Tacit. Ann. 12, 13. Amm. Marc. 18, 7. 23, 6. Abulf. tab. M. p. xxxi. (ubi nomen hoc bis falso typis expressum) et Assem. bibl. or. T. III. P. 2. p. 767. satis apparet. Difficilius est de sequenti *Tel-arab* certi quid statuere; cum nomen hoc nullibi legerim, تل عفر (oppidum Singaram inter et Mozulam, cujus situs hic aptus, v. Assem. praef. ad T. II. Abulf. tab. M. p. xxviii.) levi mutatione legendum esse opinabar: sed in tanta oppidorum quae in regionibus illis *Tel* (montis, collis) nomen sibi praepositum habent (v. Assem. T. 3. 2 p. 784), res incerta maneat necesse est. Notius est proximum *Abedin* (alibi عبدين, quod praestat), Syris plerumque ܛܘܪ ܥܒܕܝܢ *Tur-abdin* vel *Tur* nominatum, oppidum haud ignobile ad Tigridem, Mozulam inter et Geziram, ut bene huc ad ceteras urbes pertineat, cf. Assem. praef. ad T. II. Edris. p. 201. (ed. 1619) et Abulfarag. p. 178; d'Anvill. male habet Tur Rabdin. Cave confundas Abadan ad Tigridis ostium. Sequens *Maschrab* ubi situm fuerit extricare nequeo. Ultimum vero السويدا (sic enim procul dubio emendandum) locus est Charras inter et Euphratem situs, ut colligi potest ex lex. geogr. ap. Schult. ad Salad. s. v. *Sovaidaa*, cll. Abulf. Ann. T. III. p. 86. T. IV. p. 402. — L. 22. nota غويص *profundus* in lex. omissum.

